

Dissertatio medica de tincturae guayacinae virtute antarthritica / [Ernst Friedrich Eckhoff].

Contributors

Eckhoff, Ernst Friedrich, 1745-1825.
Ackermann, J. F.
Universität Kiel.

Publication/Creation

Kiel : M.F. Bartsch, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g8x5edcw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

DE

214
TINCTVRAE GVAYACINAE
VIRTUTE ANTAR-
THRITICA

QVAM

PRAESIDE

VIRO PERILLVSTRI ET CELEBERRIMO
D. IOANNE FRIDERICO ACKERMANNO

ARCHIATRO REGIO

MED. ET PHYS. P. P. O.

FACVLT. MED. H. T. DECANO

ET PROMOTORE

PRO RITE CONSEQVENDIS SVMMIS IN ARTE MEDICA
HONORIBVS

IN ACADEMIA REGIA DAN. CHRISTIAN-ALBERTINA

H. L. Q. C.

D. XII APRILIS A. R. S. c1o1occlxxxii.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

RENESTVS FRIDERICVS ECKHOFF
WILSTERENSIS HOLSATVS.

KILIAE HOLSATORVM

LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII ACAD. TYPOGR.



PATRI SVO
PIE DEVENERANDO
VIRO
PLVRIMVM REVERENDO
GVILLIELMO ECKHOFF

APVD WILSTERENSES ARCHIDIACONO

LONGE MERITISSIMO;

ET

AFFINI SVO OPTIMO

VIRO

AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

MARTINO EHLERS

ARTIVM MAGISTRO

PROFESSORI PHILOSOPHIAE IN ACADEMIA KILONIENSI

CELEBERRIMO

HASCE DOCTRINAE PRIMITIAS

IN PVBLICVM ANIMI GRATISSIMI

ET CVLTVS OBSERVANTISSIMI

TESTIMONIUM

INTER OPTIMA QVAEVIS OMNIS HVMANAE FELICITATIS

ET VITAE LONGISSIMAE VOTA

D.

A V C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30368467>



DE TINCTURAE GVAIACINAE
VIRTUTE ANTARTHRITICA.

§. I.

Dari *medicamenta specifica*, in quibusdam morbis privam ac praecipuam prae aliis medendi potentiam, absque notabili materiae peccantis evacuatione vel alteratione, exferentia, haud sane negari potest, & inique forte negantes mox convincent cortex peruvianus in febribus intermittentibus, hydrargyrum ejusque praeparata in venereis morbis, opium & asa foetida in nervosis, aliaque plura, quae cuncta hic enarrare *ἄτοπον* foret. Casu ut plurimum observata, famam deinde nacta, usu porro & experientia confirmata, & per severius atque rationale attributarum iis virium examen tandem illustrata, justisque limitibus suis circumscripta, eorum efficacia, perquam illa commendant, non populo tantum & empiricis, quibus primum fere omnium innotescere solent, sed ipsis etiam rationalibus Medicis, adeo ut & ab his identidem praeferantur aliis, pridem cognitis, at minus promptam certamque opem ferentibus, remediis. Absit vero, ut cum

A

empi-

empiricorum & agyrtarum valgo, absurde nobis aliisque persuadeamus, specifica ejusmodi remedia ex quacunque causa ortum talem morbum, in omnibus eo laborantibus hominibus, certo & indubitanter, omnique tempore, tollere, atque sic semper intentioni medentis satisfacere, nec unquam nocere. Haec quippe usque praestare nulli datum est pharmaco. Nec enim idem morbus ex iisdem semper causis, sed diversis, immo oppositis saepe, nascitur; nec vires remediorum absolutae sunt, sed a corporum, in quae admissa agunt, reactione pendent, & per singuli cujusvis aegri naturam aliter atque aliter determinantur: unde quoque fit, quod, empiricorum more, absque debita & sufficiente causae morbi & affectionis corporis cognitione, indiscriminatim usurpata, frustra quandoque adhibeantur, & subinde noceant. Non alia itaque medicamenta pro vere specificis habent boni ac prudentes Medici, quam ea, quae definitis causis morbi, ad quem praedicantur, directe contraria sunt, easque, latente quidem quadantenus modo, certius tamen & efficacius aliis, aut immutare ac evertere, aut prorsus destruere, aut e corpore penitus proscribere, citra hujus fatigationem, valent. Obscura quidem quodammodo est hujus virtutis eorum ratio; haud absōna tamen conjectura est, positam illam esse in eo, quod ejusmodi elementis constant, quae singula ad expugnandam morbi causam aliquid conferunt, ut ex iis mixtum pluribus simul indicationibus satisfaciat: quod magis in motus quam in materiam agendo praestare videntur. (a)

§. II.

Specioso tali *specifici* & quidem *antipodagrici* titulo nostris temporibus, a quinque inde annis, perquam celebratur *in-*
stura

(a) Pluribus haec exposuerunt *Fund. Ther. gen. S. II. c. 8.* quos & *HOFFMANN Med. Rat. T. III. S. II.* me secutum in, his esse haud pudori
c. 8. ejusque Epitomator BÜCHNER erit.

Etura Guajacina spiritiosa, ex arboris Guajaci lacrima resinoso-gummea ^(a) & spiritu ardente sacchari simplice, Taffia Gallis, Ruin vero Anglis, & cum his nostratibus, dicto, sola illius per hunc extractione, parata. Princeps famae hujus conciliator Francogallus fuit, EMERIGON nomine, Regis Galliae in insula Martinica Procurator: quippe qui, tribus ad diversos datis epistolis ^(b), ejus praeparationem, utendi modum, & tam in se ipso,

A 2

(a) Apposite utique PLINIVS *Hist. nat. Libr. XI. c. 6. & Libr. XXIII. Prooem.* item CELSVS *de Medic. Libr. III. c. 18.* & SCRIBONIUS LARGVS *de compos. Medicament. c. 167. & 170.* arborum aliarumque plantarum succos foris prodeuntes lacrimas nominant. Non male hoc nomen ad succum concretum ex Guajaci arbore, vel sponte, vel praegressa hujus incisione, aut terebratione, stillantem, transtulit *Codex Medicamentarius seu Pharmacopoea Parisiensis*, quem & ego sequi opportunum duxi. Sic quippe omnis evitatur lis, quam patiunt vulgares ejus appellationes, quibus ab aliis nunc gummi, nunc gummi-resina, nunc resina, nuncupatur, perperam semper. Nec enim gummi apte dici posse succum aridum, qui aquam non ex toto subit; nec gummi-resinam, cujus exigua tantum pars aqua, longe major vini spiritu mergitur; nec resinam, quem non penitus solvit vini alcohol, omnes concedent Chemiae gnari. Addere tamen huic lacrimae denominationi visum est ulteriorem qualitatis ejus definitionem, quod sit resinoso-gummea. Secundum mea enim experimenta, opitulante officiosissimo alterius tabernae medicae Kiloniensis Pharmacopoeo vica-

rio CHRISTOFFERS, accuratissime quam fieri potuit capta, ex sesquialtera lacrimae Guajaci uncia, in locum librae medicae surrogata, spiritus vini rectificatissimus extracti resinosi, coloris badii splendentis, odoris & saporis paene nullius, drachmas sex cum semisse, aqua vero simplex distillata extracti gummosi seu aquosi, coloris ex spadiceo furvi, odoris balsamo peruviano aliquatenus similis, naresque fortiter ferientis & sternutationem laeessentis, saporis acris, citoque in aere deliquescentis, drachmas duas totidemque scrupulos, eduxit: quod idem etiam confirmant olim a NEVMANNO capta exoerimenta, parum admodum a meis discrepantia.

(b) Harum prima ad Comitem DE NOZIERES, summum copiarum Regis Galliae in insula Martinica praefectum, d. 8. Febr. a. 1776. secunda ad quosdam in Europa podagricos, d. 16. Aug. ejusdem anni, & tertia ad fratrem, caufidicum Massiliensem, d. 18. Januar. a. 1777 data est, & huic ultimae, fidei firmandae causa, adjecta sunt bina aliorum testimonia, alterum TEXERII, mercatoris Burdigalensis, d. 24. Octobr. a. 1776. ad EMERIGONVM missum, alterum LOVSTANI, Chirurgi nautici, in insu-

ipso, quam in aliis, observatas vires, abunde per omnia exposuit. Tassiae nempe meracae ac generosae pintae tres (c), & lacrimae Guajaci, in pulverem tusae, unciae duae, in ampulla satis ampla, ut pars ejus vacua maneat, eaque probe obturata, soli exponuntur per octiduum, subinde interea concussantur, & tandem linteo aut charta bibula percolatur tinctura, in aliis ampullulis, exacte claudendis, asservanda (d). Hujus, utut impense acris, & ideo fauces haud parum offendentis, tincturae cochlear cibarium, quotidie, mane, jejunus, aut si promptior majorve, laxans imprimis, effectus requirebatur, bis, mane scilicet ac vespere, sumsit ejus encomiastes, tam in ipsis binis podagrae paroxysmis, quam his superatis, quoad solitum invasionis podagrae tempus, absque hujus reditu, effluxerat, & satis

la Martinica artem suam exercentis, d. 15. Januar. a. 1777. exaratum. Conjunctim prodierunt hae epistolae, gallice in *Journal de medecine*. T. XLVII. p. 424 sqq. & in linguam teutonicam versae, in collectione scriptorum medicorum minorum, quae inscribitur *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte*. T. III. P. 4. p. 587. sqq. & separatim, titulo; *Besonderes Mittel für das Podagra*.

(c) Si pinta Martinicensis aequalis esset Gallicae, quam, Parisiis certe, libras duas, & libram uncias sedecim, habere SPIELMANNVS *Inst. Chem.* §. 41. p. 40. refert, quantitas tassiae, quam adhiberi EMERIGON vult, aequaret pondus librarum sex, seu unciarum nonaginta sex. Sed nimiam esse hanc spiritus ardentis quantitatem nemo certe negabit chemiae pharmaceuticae gnarus. Haud procul itaque a

vero abero, conjectans, pintam Martinicensem vix semissem, & forte non multum supra trientem, pintae Parisiensis, sive, ut clarius mentem, meam exponam, uncias duodecim tantum, capere, ut ergo positae ab EMERIGONO pintae tres vix ultra uncias triginta sex efficiant. Non parum hanc conjecturam confirmat, quod omnes, quotquot vidi, hujus tincturae formulae, tam manu scriptae, quam typis excusae (quae adhibendi ad ejus praeparationem spiritus inflammabilis copiam, non ad mensuram, sed ad pondus, exprimunt) tassiae tantum uncias triginta duas recipere praecipiant, & recte quidem, quum hae ad extrahendas ex unciis duabus lacrimae Guajaci omnes partes resinoso-gummeas abunde sufficiant.

(d) Putat enim eo meliorem evadere tincturam, quo est vetustior, & ideo diu ante usum diem praeparandam esse monet.

tis confirmata videbatur valetudo, quo facto ad anteverendum,
 alias vix evitandum, podagrae recursum, adeoque praeservandi
 scopo, bis tantum in hebdomade eandem tincturae dosin adhi-
 buisse sat habuit, nisi si quando aliqua imbecillitatis ventriculi
 indicia, imminutus ciborum appetitus, horumve minus bona
 concoctio, capitis dolor, aliaeve molestiae, adventantis iterum
 podagrae praenunciae, ad quotidianum ejus, per aliquot saltem
 dies, usum, in auctiori etiam dosi, redeundi necessitatem im-
 posuit. Singulis sic assumtis dosibus, post elapsam unam alte-
 ramve horam, jus lacteum superedit, & ad mitigandam tinctu-
 rae acrimoniam superingeri usque debere autumat: ceterum sa-
 tis laxam sibi permittens diaetam, cibos nempe quoscunque,
 opimos aequae ac macros, recentes & salitos, aromatibus quo-
 que conditos, calidos & frigidos, absque omni horum delectu,
 & interpositum potui ordinario, aquae, vinum vetustum Burdi-
 galense; quibus tamen omnibus modice tantum uti, magnas
 epulationes, omnisque generis excessus, vitare, a coena, aut
 prorsus, aut larga saltem, abstinere, lectum tempestive, hora
 scilicet decima nocturna, petere, mane vero cito, hora quippe
 quinta, derelinquere, atque a balneis, qua calidis, qua frigidis,
 omnique pedum madore, utpote, experientia magistra, poda-
 gram illico revocantibus, cavere scribit. Sic, ut refert, va-
 cuitatem a podagra, gonagra, & chiragra, pluries quotannis,
 & quovis paroxysmo diutius graviusque, illum infestantibus,
 horumque comitatu ac reliquiis, pedum debilitate, artuum
 rigiditate, nodis omnes paene articulos obsidentibus, doloribus
 vagis, totum corpus pererrantibus, novosque semper insultus
 portendentibus, aliisque molestiis, quae a pluribus inde annis
 nunquam recte valere illum finebant, non ipse solum consecu-
 tus est, & ita quidem, ut, qui valetudinarius diu fuerat, op-
 time ab eo tempore, quo praedicta methodo usus illa est, va-

luerit, sed consecuti pariter, tam in insula sua, quam in Gallia quoque, sunt complures (e). Eandem hinc non minus pollicetur cunctis, simili methodo, licet non eadem semper, sed, pro temperamenti & effectus ratione, modo majori, modo minori, generaliter vix determinanda dosi, hac tinctura usuris. Certo namque persuasum sibi habet, apud omnes, & ubique, ex eadem semper causa, cacochymia nempe pituitosa, originem suam ducere podagram, & proinde universale hujus, & congenerum illi morborum, gonagrae, chiragrae, arthritidis vagae, rheumatismi, ischiadis, pluriumque aliarum ex eadem cacochymia pituitosa oriundarum aegrotationum (f), remedium esse debere pharmacum cacochymiam illam partim e corpore, sive per scretum aut sputum satis largum, sive per modicam alvi dejectionem, eliminans, partim ne quo in loco deponatur & sedem suam figat praepediens: quod utrumque praestare tincturam Guajacinam experientia doceat. Nec ab ejus usu, propterea quod calida quadantenus sit, & primis forsan diebus turbas quasdam concitet, deterreri oportere ullum monet: quum necesse sit aliquam illi esse *ἐνέργειαν*, quo podagrae seminum extirpare valeat. Abstinere tamen ab ea vult illos, quibus cum aliis morbis complicata est podagra.

§. III.

(e) Scribit quippe in tertia sua epistola, transmittere se, una cum illa, in Galliam voluisse duodecim sibi notorum podagricorum, hoc remedio in insula sua sanatorum, testimonia, quo per ea addubitantium, num vere adeo praesentaneum, quale ab eo praedicatur, medicamentum sit, animos confirmet; horum vero loco jam nunc apponere datas ad se a TExERIO litteras, ex quibus, duorum Burdigalae podagra quondam labo-

rantium, jam vero ea liberatorum, exemplo, & hoc, quam promtam medelam praestet, & illud, ad debellandam ubique podagram idem valere, copiose pateat.

(f) Medelam nempe afferre commemorat, cephalalgiae pituitoso serosae, catarrhis, cardialgiae, colicis doloribus, sanguinis resolutioni mancipiis nigris familiari, sarcomatibus, & ulceribus inveteratis.

§. III.

Vere his Francogalli promissis, quoad maximam saltem partem, respondere celebratas hujus tincturae vires, multiplex illorum testatur experientia, qui ad depellendos articulares morbos, alii proprio ausu, alii suasu Medicorum artis suae peritissimorum, usi ea sunt optimo successu. Enumerare possem horum permultos, si plenam fidem habere liceret obscurae, quae illos nominat, famae. Malo itaque plerosque horum tacere, & eorum tantum nomina ponere, quos Wilstriae, natali mihi oppidulo, & hic Kiliae, usos ea esse certo scio, & quos proinde ipse interrogare & ex proprio illorum ore observatos ejus effectus rescire potui. — Ibi nempe novercae meae, arthritide, primum vaga, deinde fixa, pedes, genua, coxas, & manus, occupante, acerbè vexatae, tantum profuit haec tinctura, quam, suasu Illustrissimi Comitis RANTZOVII, dynastae arcis & toparchiae Breitenburgensis (qui & ipse istiusmodi dolorum lenimentum inde obtinuerat) jam per sesquialterum annum, alternis regulariter diebus, lacti immixtam, bibit, ut quae ante biennium perraro doloribus vacabat, & ob invalescentem genuum ac digitorum, jugiter tumentium, debilitatem, rigiditatem, & incurvationem, pedibus manibusque penitus capta erat, adeo ut nec loco se movere, absque aliorum auxilio, nec quidpiam firmiter prehendere atque tenere manibus, posset, jam nunc, ab aliquo tempore, doloribus libera, revocatisque ad rectum membris, & utcumque restituto eorum robore, quo vult sola ire & curam rei familiaris gerere commode queat. — Hic beneficam ejus virtutem primus omnium expertus est bibliopolii academici institor KLINKICHT. Is enim, inde a vicesimo primo aetatis suae anno, per septem lustra, podagra, gonagra, & chiragra, haereditaria, bis terve quotannis eum prehendente, raro in eo quod

quod primum occupaverat membro subsistente, sed plerumque ex uno in alterum migrante, totumque paene corpus pererrante, & per quatuor minimum, sex ordinarie, & subinde octo hebdomades durante, ac continuam fere artuum debilitatem relinquente, misere excruciatu, binorum sibi amicorum Medicorum consilio, ad faciendum periculum an & quantum in adeo inveterata & hereditaria arthritide valeat Guajaci tinctura incitatus, ex ejus usu id habuit commodi, ut non tantum irruens autumno anni 1779. paroxysmus, sub cujus ingressu primum adhibere illam coepit, omnibus ultimis annis toleratis mitior esset, eo quod nec adeo acerbum ac alias dolorem efficeret, nec tamdiu quam praegressi duraret, sed jam ante quartum decimum diem penitus desaeviret, verum etiam continuatus ultra annum tincturae, quotidie primum, alternis deinde diebus, bis tandem quavis hebdomade, haustae, usus, per integrum biennium arceret omnem arthritidem, qua & diutius forte solutus mansisset, nisi bonae qua fruebatur valetudini, & recuperato corporis vigori, nimium confidens, ultimis vernis omnibusque aestivis anni praeteriti mensibus, ordinate illam statis diebus sumere penitus neglexisset, sat fore ratus, si tum tantum adhibuerit eam, quum ex ventriculo aut intestinis aliquo modo laboraret; cujus vero negligentiae poenam ab eo sumfit recurrens autumno anni praeteriti chiragra, quam quidem citius ac ipse speraverat discussit in praesidium revocatum & per sex dies continuos potum specificum, at, post breves paucarum hebdomadum inducias, ob praemature, ut putat, in patente paene omnibus aëris injuriis taberna libraria, expositum procellosae & humidae mensis Decembris tempestati corpus, & insimul temere rursus intermissum medicamentum, utrumque genu prehendit gonagra, quotidiana tincturae sorbitione iterum fugata. — Alter quem eximias hujus remedii vires antarthriticas

cas collaudantem audiui, perillustis est GOLLOWINIVS, in Augustissimi Danorum Regis exercitu supremus excubiarum praefectus, quippe qui, a trigesimo primo aetatis suae anno, per quatuor jam lustra, ex pedibus quotannis, semel plerumque laborans, & perraro, ne ipso quidem tempore quo inducias dabat podagra, ex toto & absolute valens, sed continuis fere corporis infirmitatibus, modo hanc modo illam partem tentantibus, inprimis cruditatibus a prava ciborum concoctione oriundis, colicis aliquando doloribus, perenni artuum inferiorum debilitate, torpore, & rigore, ac spasmis, suras, digitos, & plantas pedum, frequenter laceffentibus, multum subinde vexatus, videns, sanandis his aegrotationibus impares esse dietam, cui penitus propemodum se addixerat, levissimam & mollissimam, anniversariam acidularum Pymontanarum potationem, aliasque urgente morbo propositas medicationes, tandem, exeunte vere anni praeteriti, ex castris ad fingendos milites prope Rendsburgum positis redux, & eadem vespera qua domum redierat, podagra, in utrumque pedem irruente, prehensus, opponere ei statuit tincturam Guajacinam, ab illustrissimo Comite ALEFELDTIO, apud Regis Daniae exercitum secundum imperii bellici locum tenente & legionis equestris tribuno (qui & ipse, alias ex multoties perpeffo articulorum dolore manibus pedibusque captus, non modo membrorum usum, verum etiam stabilem ab arthritide vacuitatem, ex ejus potatione recuperaverat) ut praestantissimum ad podagram, numerosis eorum qui haecenus usi ea sint exemplis, comprobatum medicamentum, sibi commendatam. Hac itaque per totum aestatis & autumnii anni praeteriti cursum, & quidem per quatuor menses continuos quotide, per tres deinde hebdomadas alternis diebus, & per totidem alias bis intra septiduum, tandemque quovis octavo, decimo, aut duodecimo die, prout libuit, pota, id consecutus est, ut usque

ad hanc diem non tantum prorsus quieverit podagra, sed etiam excusso artubus torpore atque rigore, redditoque his robore, ac profligatis omnibus aliis corporis imbecillitatibus, optime valeat, etsi hoc anno penitus neglexerit adeo salutaris sibi remedii usum. — Tertius quem huic tincturae impetratam, praeterito pariter anno, securitatem ab articulari morbo tribuentem audiui, illustris STAHLIUS est, potentissimi Danorum Autocratoris consiliarius juri dicundo. Nam & hic, a trigesimo octavo aetatis suae anno, podagra, non quidem habituali, sed bis tantum hactenus, annis 1769 & 1775 perpeffa, utraque tamen accessione, priore ultra sex & posteriore ad decem hebdomades, saevis doloribus fatigatus, non extinctum esse arthritidis fomitem, & iterum instare dirum morbum, ex creberrime recurrentibus & indies, primis potissimum anni praeteriti mensibus, incrementibus, notis sibi a praegressis binis podagrae insultibus, doloribus vagis, sentiens, eumque avertere avens, hausta omni mane, inde a Majo usque ad Octobrin ejusdem anni, per quinque continuos menses, summopere ab amicis sibi commendata Guajaci tinctura, id obtinuit, ut non tantum toto anno sileret podagra, sed quoque dispellerentur ab ultimo paroxysmo relicta incommoda, extremitatum inferiorum infirmitas & torpor, quo prospero successu permotus, & hoc anno denuo eadem uti secum constituit, ideo quod jam iterum circumeuntes & paulatim gliscentes tensiones, modo digitos, manus, & cubitos, modo coxas, genua, furas, aut pedes, prehendentes, exigere videntur repetitum ejus usum, quem, ut asseverat, nec praeteriti anni autumnio intercepisset, nisi febricula, ex summo, quem subita patruī se praesente vita defuncti mors incusserat, terrore ac moerore oborta, seponere illam, sic jubente, accersito medico, coegisset.

§. IV.

Quatuor his observationibus, antarthriticam hujus tincturae virtutem confirmantibus, commodius hoc quam alio loco, sub-
 texti statim poterunt aliae, comites & administras, ut ita dicam,
 ejus potestates exponentes. — Alvum scilicet, valide quidem &
 pluries, ter fere, quater subinde, & quinquies nonnunquam,
 sed absque tumultu & molestia, viriumque fatigatione, solvere
 primas ejus doses, easque quae post longiora complurium die-
 rum intervalla bibuntur, omnes uno ore testantur supra nomi-
 nati podagrici; sub continuato vero illius per plures dies, heb-
 domades, & menses, semel quotidie, aut alternis diebus, coch-
 learis cibarii mensura haustae, usu, segnius paulatim movere,
 ita ut, licet bis plerumque, rarius semel tantum, in die, solli-
 citetur, & majori quam alioquin copia eliciatur, haud facile
 tamen fusa, sed, ab immixta ut plurimum ei copiosa pituita, lenta
 magis quam cita, & non raro visci ad instar tenax sit; at si bis aut
 semel duntaxat in hebdomade potatur, vel bina singulis diebus,
 mane ac vesperi, cochlearia sumuntur, tres paene semper de-
 jectiones liquidas ciere, iidem ajunt. — Salivam & pituitam ex
 ore ac faucibus larga copia trahere, solus inter nostrates KLIN-
 KICHT observavit, ceteri negant ^(a). — Urinae secretionem
 & excretionem, haud adeo potenter quidem, quodammodo ta-
 B 2 men,

(a) Praecipua hujus dissensus ratio
 ponenda esse videtur in eo, quod
 solus ille stricte Francogalli metho-
 dum sequens, post duas demum ho-
 ras ab assumpta matutina tincturae
 dosi huic lac calidum superingessit,
 & hinc per totum intermedium tem-
 pus omnem, quam acris haec tinctu-
 ra in ore ac faucibus facit, irritatio-
 nem tulit; noverca contra mea, im-

mixtam lacti bibens, hoc paene om-
 nem illi acrimoniam exemit, & reli-
 qui bini podagrici, ut facti sunt ipsi,
 statim post assumptam eam infusum
 theae cum lacte sorbillarunt, ablu-
 tisque eo adhaerentibus ori & fauci-
 bus acribus tincturae particulis nul-
 lam aut exiguam modo istarum par-
 tium irritationem passi sunt.

men, urgere, tum maxime, si non multo post ejus potationem, tempestate inprimis frigidula, in publicum proditur aut in rheda vehitur, & alvum minus sollicitat haustum medicamentum, unicus illustris STAHLIUS animadvertit (b). — Sudorem notabiliter elicere, si ante somnum aut mane in lecto bibitur & stragulis tectum corpus habetur, solus iterum KLINCKE retulit (c). — Stomachum eximie corroborare, firmissime affirmant nostrates, omnes unanimi consensu asserentes, ad tantam ciborum appetentiam invitare illam, ut si huic indulgere voluissent non potuissent non nimio cibo distendi. — Stimulantem & resolventem ejus potestatem effugisse homines in rebus medicis rudes, nemo mirabitur; abunde tamen eas evincunt superius dicta. Humores depurare, arthriticos nostros, plus minusve cachecticos & flaccidos, docuerunt, sub continuato ejus usu indies magis magisque emendatus facierum color & renascens torosior corporis habitus.

§. V.

Satis, nisi quid me fallit, ex his §. II. III. & IV. observationibus liquet, saepius jam nominatam hanc Guajaci tincturam directe contrariam esse proximae podagrae omnisque arthritidis causae, quam in humorum pituitoso lentore, & huic juncta peculiari acrimonia, seu potius septica quadam putredine, sociaque his ventriculi & intestinorum debilitate, utrumque humorum vitium assidue alente atque augente, ponendam esse, firmis argu-

(b) Ideo haud dubie, quod soli huic, sumta quoque medicina, quavis quandoque tempestate, modo longius, modo brevius, sub dio versandi occasionem dedit officii ratio.

(c) Unicus enim fuit, qui eam vesperi cubitum iturus, & mane, sae-

vientibus podagrae & gonagrae doloribus, captisque ab his artubus, lecto egredi nequiens, aut his remissionibus, sellae insidens ansatae, pedesque ac genua culcitris plumeis involvens, raro quidem, aliquoties tamen, hausit.

argumentis probarunt sagacissimi caufarum ejus scrutatores (a). Vno quippe eodemque tempore, unaque operatione, plene fatisfacit fingulis indicationibus, quas modo expofita proxima podagrae omnisque arthritidis caufa exigat: fiquidem abundans in humoribus vifcidum gluten, non subito quidem, paullatim tamem, refolvit, inhaerens huic acre, aut putridum potius, virus podagricum, fimili modo, fenfim corrigit, atque fic utrumque immutat & evertit, tum leni quadam & placida, haud admodum notabili, evacuatione, partim per alvum, partim per falivationem aut fcreatum, partim per urinam, & aliquando per fudorem, foris e corpore proferibit, novumque utriusque proventum, reftituto, cum ventriculo & inteftinis, tum omnibus humores vehentibus vafis, robore, praepedit, & donec haec fiant, ne quo in loco deponatur & fedem fuam figat prohibet. Certius infuper & efficacius cuncta haec praeftat, quam ullum aliud ad difficillimos hos morbos haftenus propositum medicamentum (b). Omnes ergo ei funt dotes, quas efle debere me-

B 3

dica-

(a) Praecipui ex his quos ad manus habui funt SYDENHAM *Tract. de Podagra* (Opufc. edit. Lipf. 1711) p. 557. fq. & 566. BOERHAAVE *Aphor. de cognofc. & cur. morb.* §. 1263. 1265. & 1267. ejusque commentator VAN SWIETEN *T. IV. p. 321. fq. 332. 340. 361.* LUDWIG *Inf. Med. clin.* §. 586. 587. it. 575. HOME *Princ. Med. Libr. II. P. IV. S. 2. §. 6. it. S. 3. §. 5.* LIGER *Traité de la goutte P. II. ch. 3 & 4.* COSTE *Traité pratique de la goutte p. 21. 23. 27. 33. 60. fq.* BERGIVS in den *Abhandl. der Koenigl. Schwed. Acad. der Wiffenfch. XXIII. Band.*

(b) Si enim omnium aliorum a Medicis ad podagram aliasque arthritidis fpecies commendatorum medicamentorum, tam fimplicium, quam compofitorum, vires & agendi

modum, fecundum leges Therapiae generalis & Pharmacodynamices rite expendas, mox videbis, nullum horum folum omnes & fingulas indicationes explere, quas podagrae aut arthritidis cujuscunque caufam proximam exigere dixi, fed modo unam, modo alteram, modo autem plures earum, haud tangere, atque ideo, quodcumque horum propofueris, hoc femper aliorum, illi aut immifcendorum, aut interponendorum, auxilio indigere, quae id efficiant, quod praeflare illi non datum eft; quo vero aliorum pharmacorum fubfidio penitus carere poteft fimplex noftra, & hac fua fimplicitate prae aliis fe commendans, Guajaci tinctura.

dicamento specifico, statim in hujus libelli limine dixi. Nil itaque obstat, quin tributum ei ab EMERIGONO specifici antipodagrici, aut si mavis rectiusque antarthritici, nomen quodam illi competat jure.

§. VI.

Etsi itaque pluribus podagricis profuisse hanc cum spiritu ardente sacchari praeparatam Guajaci tincturam certum est, ea-que specifici antipodagrici nomine non indigna esse videtur; haud tamen profecto suasor extiterim cunctis articularibus aliisve arthriticis doloribus excruciat, ut ad depellendos odiosos hos morbos ea utantur promiscue. Perquam calidam enim & acrem medicinam esse, satis docent ejus compositionem ingredientia simplicia, & urens sapor. Non potest ergo non effectus, edere omnes, quos exferere quaevis alia calefacientia & acria notum est: vasa puta singula, & inter haec cumprimis majora, sanguinem vehentia, stimulare, huncque primum expandere atque in celeriores motum abripere, mox resolvere, tum difflata ejus lympa, condensare, totumque tandem corpus siccare. Neutiquam itaque omni temperamento, cuivis corporis constitutioni, & unicuique aetati, convenire posse, ultro liquet. — Haud facile quippe usum ejus permetterem, calidum, sive sanguineum, sive cholericum, vel ex utroque mixtum, temperamentum habentibus, seu, ut alii loqui malunt, plethoricis & biliosis: nimiam inde apud utrosque sanguinis, & ex hoc secretorum humorum, commotionem, & ex hac materiae arthriticae ad nobiliora viscera μετασάσιν, pertimescens; aut si, non sine multa cautione, horum quibusdam concederem illum, semper tamen tincturae admiscerem aut interponerem temperantia, inprimis acida, ex vitriolo educta (a). — Prorsus vero abstinere illa velim melan-

(a) Prae ceteris *Elixir Vitrioli Pharmacopoeae Danicae & Edinburgen-*

sis, quod nostrae Guajaci tincturae immisceri aut interponi utiliter posse

melancholicos, omnesque quibus habitus corporis macilentus est, ficcus, strictusque, si quidem horum praeter melancholicos ulli sunt. Metuendum quippe his foret, ne ab ea magis adhuc exsiccentur, & jam antea aequo spissior eorum sanguis adeo inspissetur, ut minima interiorum & principum partium vasa permeare nesciens, in his non possit non subsistere, summeque periculosas parere obstructions, indeque secuturas inflammationes, in mortiferas destructiones facile abituras. — Nec unquam temere illam proponerem delicatulis, molle valde ac tenerum & irritabile vasorum nervorumque systema habentibus; nimiam reformidans, quam inducturam his vererer, irritationem, atque hanc excipientia mala, consimilia iis quae plethoricis atque biliosis extimescenda esse paullo ante dixi. — Hinc pueris pariter, & juvenibus minoribus, item femellis gracilentis, masculorum habitum non imitantibus, quibus arthritide vera infestari forsan, raro licet exemplo, eveniat, plane interdendum esse illius usum arbitror. — Senibus denique grandaevis & decrepitis, quibus aridus & ex spissitudine vel penuria sanguinis pallidus corporis habitus est, atque jam obriguerunt fibrae, semper hanc dissuaderem tincturam, exsuccum jam eorum corpus magis adhuc extenuaturam, & rigidas a senio fibras ulterius induraturam, eosque iisdem objecturam periculis, quibus sub ejus usu exponere sese macilentos & ficos quoscunque
supra

satis superque patet ex eo, quod non tantum stomachicum est egregium, biliosis imprimis convenientissimum, sed etiam antisepticum eximium, putridae acrimoniae, quam alterum materiae arthriticae elementum esse supra §. V. dixi, directe contrarium, & tantum abest, ut ita sumtum, infringat tincturae Guajacinae vires, aut noceat articulari aliisve arthri-

ticis, ut potius illius operationem nonnihil, & haud parum quandoque, promoveat, & his, plethoricis potissimum atque biliosis, aequae, ne dicam magis, profit, ac victus ex vegetabilibus acescentibus, quem minime nocere, sed potius prodesse podagricis, recte monet VAN SWIETEN *l. c. p. 367. 368. & 369.*

supra monui. — Solis itaque consistentis aetatis & in primo senio constitutis utriusque sexus hominibus, frigidum seu phlegmaticum, aut ex hoc & sanguineo mixtum, temperamentum, atque habitum corporis laxum, spongiosum & repletum, carnem flaccidam, vasa ampla, nervosque remissos, habentibus, & ex his causis, colluvie serosa, vel pinguedine, aut utraque, abundantibus, sive, ut paucis me expediam, pituitosis & obesis, liberum concederem nostrae tincturae antipodagricaе & antarthriticae usum (b).

§. VII.

Hisce cautelis, capita spectantibus, quibus adhibere antarthriticam hanc Guajaci tincturam licet, & quos arcere ab ea prudentia postulat, addere juvabit adhuc alias, tempora deficientes, usui ejus praefigenda, modosque, quos in hoc ejus usu servare conducet. — Diu sumi eam debere, ipsa docet supra §. V. assignata proxima podagrae omnisque arthritidis causa, utpote quam nec uno medicamento haustu, nec aliquot ejus dosibus, ita attenuari, corrigi, & e corpore per varia ejus colatoria eliminari posse, ut nullus materiae arthriticae fomes remaneat, novusque ejus proventus prorsus reprinatur, adeo manifestum est, ut injurius in lectores forem, si e longinquo repetitis argumentis hoc demonstrare conarer (a). Per plures itaque, non tantum hebdo-

(b) Multum haec monita convenire cum iis quae, de non promiscue omnibus podagricis proponendo amarorum & antiscorbuticorum usu, prudentissime praeceperunt VAN SWIETEN *l. c. p. 358. 365. 366. 367. 390.* & ab eo ibi allegati auctores, non nego. Perquam tamen errabunt, qui ex hac convenientia praefestine colligant, nihilo ergo his amaris & antiscorbuticis praestantio-

rem esse nostram tincturam. Quantum enim & cur omnibus aliis medicamentis antarthriticis, ne ipsis quidem amaris & antiscorbuticis exceptis, antecellat, satis, ut opinor, est, pro hujus libelli, non nimium extendendi, modulo, concise admodum, supra §. V. ostendi.

(a) Qui tamen rationes vult, legat SYDENHAMI *Tract. de Podagra p. m. 576. 599.*

hebdomades & menses, sed annos quoque (b), immo non raro ad omnem aetatem, perseverandum in ejus usu est (c); hac servata hujus norma, ut quo quis pituitosior est & obesior, quo diutius membris infedit arthritis, quo saepius in anno haec ingruere consuevit, & quo longiores ac graviores fuerunt singuli ejus paroxysmi, eo diutius continetur: quum haec indicia evidenter arguant majorem materiae arthriticae copiam & acrimoniam, qua, ob praemature abruptum assiduum antidoti usum, non penitus exacta & denuo accumulata, inevitabilis semper erit articularis morbi reditus; isque eo promptior, quo plus inveteratae materiae arthriticae remansit, & quo plus novae huic accessit, quod tam Francogallus EMERIGON, quam noster KLINKICHT, uterque non sine incommodo suo, experti sunt (d).— In ipsa dolorum arthriticorum asperitate adhibere hanc tincturam, ut fecisse EMERIGONVM & KLINKICHTVM supra §. II & III. retuli, non usque consultum erit. Paroxysmi enim podagrici febre plerumque stipati esse solent, vesperi ingravescente,

C

(b) Annalis plerumque requiritur usus, pro iis qui, ut bene durationis podagrae tempus definiuit COELIVS AVRELIANVS de morbis acut. & chron. Chronicor. Lib. V. c. 2. p. 568 sq. non plurimo tempore passione fuerint vitati, hoc est intra quinquennii temporis constituti; qui tamen, si quotidie illam sumere nimis molestum sit, secundum ejusdem consilium, ita dirigi potest, ut repraesentetur numerus dierum, quo integer completur annus, quanquam longo tempore porrectus: quod quidem commode sic fieri posse arbitror, ut primum per tres menses quotidie, deinde per sex menses alternis diebus, tum per integrum annum bis in hebdomade, tandemque per biennium quovis se-

ptimo die, infra definienda dosis bibatur.

(c) Si diutius, hoc est, jam ultra quinque annos, corpori infedit. Tum enim, ut recte monet SYDENHAM l. c. p. 576 & 593. proxima arthritidis causa jam in habitum & novam quasi naturam transiit; proindeque corporis habitus omnis alio traducendus, atque homo integer deinceps nova quodam incude ad pristinam constitutionem refingendus est, quantum per aetatem & alias circumstantias licet.

(d) Videatur illius *Epistola* 2. (edit. Dresd.) p. 12, & ex hujus ore excerpta de podagra sua relatio, supra §. III. exhibita.

sciente, mane remittente (e), quam acri hac & calida medicina magis incendere haud periculo careret. Tutius erit usum ejus tamdiu differre, donec resederit morbi impetus (f). Quodsi tamen haud incitatus & mollis, vesperi quoque, pulsus, abesse febrem indicet, intrepide dari sumique poterit, etiam in ipso arthritidis paroxysmo (g), quem citius, quam alias sperare licuisset, ab ea solvi fidem faciunt EMERIGONI & KLINCKI-
TI observationes (b). — Nisi absolute suae spontis sint usum ejus, secundum modo datum consilium, extra podagrae aliarumque congenerum huic affectionum arthriticarum impetum coepturi, haud libenter approbabo, ut hiemali tempore sumenda ejus initium faciant, congestiones metuens, quas, suppressa, ex admissio corpori frigido & subinde humido ac procelloso admodum aëre, cui exponere sese coguntur negotiis qualibuscunque addicti homines, transpiratione, in interioribus,

(e) HOFFMANN *Med. rat. syst. T. IV. P. II. S. II. c. XI. §. 15. p. 509 sq.*

(f) Dum enim podagrae accessus deferbuit, parum superest de materia morbi, tuncque tutius datur, hac spe, ut amplius adhuc attenuet, corrigat, & evacuet, superstitem, & hujus incrementum roboratis visceribus caveat. Vid. VAN SWIETEN *l. c. p. 366.*

(g) Negabunt hoc, scio, omnes qui SYDENHAMI *l. c. p. 561. 567. 593.* BOERHAVII *l. c. §. 1273.* SWIETENI *l. c. T. IV. p. 348 — 353.* aliorumque, auctoritates allegantes, nihil magni tentandum esse in paroxysmo statuunt, propterea quod molimina sint naturae, turgentem in vasis & maturam materiam arthriticam ad artus

abegantis & e corpore removere al-
laborantis, quae ideo nullo modo turbare, adeoque nec per stimulantia calidaque medicamenta, quale nostra tinctura est, incitare, nec per alias vias, quam quae natura praemonstrat, molestam materiam eliminare, liceat, & hinc apud arthriticos nudos spectatores agere malunt, quam eo allaborare, ut congestionis, maximos dolorum cruciatus excitantis, vim minuere, acre morbosum ex sanguine ad alia loca excretoria commode derivare ac evacuare, aut aliquantisper alteratum in sua energia infringere velint. Vid. VOGEL *de cognosc. & curand. corp. hum. affect. §. 478. p. 381.*

(b) Prior exstat in EMERIGONI *Epistola 2. p. 12.* posteriorem supra §. III. enarravi.

bus, & nobilioribus visceribus, productura forsan foret, stim-
mulans & calefaciens haec tinctura. Consultius proin erit, me-
dio vere aut aestate usum ejus inchoare, quo mitiori anni tem-
pore sensim illi assuescant. — Qui ei se addixit, ne optato
ejus fructu excidat, quovis anni tempore in ejus usu persistat,
ne hieme quidam excepta; quin potius hac diligentius illa uta-
tur: quo sanguini aestatis calorem etiam media hieme conciliet
& arceat saburrae pituitosae accumulationem, quam hieme ma-
gis ac alio anni tempore colligi nemo nescit ⁽ⁱ⁾. Quodsi tamen
intensius frigida vel humida aut procellosa hiemis tempestas
sit, per aliquot dies, donec in mitiorem conversa fuerit, ab-
stinere illa velim eos qui domi se continere nequeunt, eadem
extimescens mala, quae a suppressa transpiratione tum metuen-
da esse paullo ante dixi. — Dosis, minima uncia dimidiata,
maxima integra, recte quidem statuitur; optimum tamen erit,
medium tenere, hoc est, drachmas sex sumere ^(k). — Sin-
gulis dosibus, post interjectum aliquod temporis intervallum,
superpotari aut superedi debet lac calidum vel jus lacteum, aut
si hoc, ut quibusdam accidit, non bene fertur, vel magis placet,
ptisanæ ex hordeo vel avena cremor, cum vel sine lacte ac sac-
charo: ut demulcentibus his quodammodo mitigetur haustæ
tincturae acrimonia, faciliorque sic mitigatae in vasa lactea pa-
retur

C 2

(i) Conf. SYDENHAM *l. c.* p. 575
& 593.

(k) Ad pondus definire dosin ma-
lui, quam ad praescriptam ab EME-
RIGONO cochlearis cibarii mensu-
ram, semper incertam, ob diversum
istorum cochlearium ambitum, dum
horum alia minora unciam tantum
dimidiam, alia majora integram, alia
denique medii moduli drachmas sex
capiunt. Aequum vero esse hoc quod

posui pondus, ex eo patet, quod drach-
mae sex hujus tincturae de lacrima
Guajaci, grana tantum viginti duo
cum dimidio, vel rectius, educti ex
his extracti mixti, seu resinoso gum-
mei, grana prope octodecim, habent,
& ordinaria lacrimae Guajaci dosis,
ubi non purgandum est, scrupuli duo,
si vero pro purgante datur, drachmae
duae, esse soleat, secundum PAREN-
TI *de Dosib. Medicament.* p. 77.

retur ingressus ^(l). Si bis vel ter alvum mediocriter movet praescripta dosis, unam mane summisse sat est; sin saepius trahit, & nimis fluxam ciet, minuere dosin expediet, ad unciam dimidiam, vel drachmas tres, aut duas; quodsi contra semel tantum vel prorsus non ducit, ad unciam integram augere illam proderit, & si nec haec teneram reddit, bis in die, mane scilicet & vesperi, drachmae sex bibendae sunt ^(m): quibus si non sollicitatur abstinere hac medicina satius erit, quam ulterius insistere illi ⁽ⁿ⁾. — Bonum est, immo optimum, si una cum al-

VO

(l) Non tamen necessum est, ut **EMERIGON** fecit & suadet, per unam alteramve ab ejus potatione horam differre lactis vel cremoris hordeacei aut avenacei sorbitionem, sed citius ebibi haec possunt; licet forte diuturnior dilatio salivae & pituitae sputum adjuvare aut promovere possit, uti jam supra, in subjecta § IV. annotatione, indicavi. Lacti immixtam bibere, ut novercae meae solenne esse alibi §. III. dixi, nec utique congruens nec aeque utile mihi videtur, propterea quod a lacte fere omnis spiritu ardente soluta lacrimae Guajaci refina, viridi colore, praecipitatur, & sola tantum gummosa hujus pars, cujus non ultra quinque grana inesse sex tincturae drachmis supra, in apposito §. II. scholio, commemorata experimenta docent, a lacte suscepta, in ventriculum defertur.

(m) Nam etsi perutile, immo necessarium omnino sit, ut ex intestinis evacuetur, in his, sive ante hujus tincturae usum, sive sub eo, a largiore cibo, ad quem assumendum excitatus a stimulante hac medicina vigensque appetitus invitat, collecta & accumulata pituitosa & acris putri-

daque saburra, quo ejus in vasa lactea, & ex his in sanguinem transitus praecaveatur, & ad hunc finem obtinendum opus utique sit, ut alvus non tantum aperta servetur, sed aliquanto saepius quoque ac copiosius deiciat, hoc tamen, ut jam supra § V. indicavi, absque molestia & fatione fieri debet. Binae ergo, aut ad summum ternae, a singulis tincturae dosibus sollicitatae, tenerae quidem, at non fusae, alvi dejectiones sufficiunt; plures vero, fusaeque, non sine molestia & defatigatione ferendae, nimiae sunt; pauciores contra intentioni non satisfaciunt.

(n) Metuendum enim foret, ne stimulans & calefaciens haec tinctura sanguinem, secretosque ab hoc humores, nimis commoveat, & in nobiliora viscera rapiat, eoque mala concitet, in fine hujus sectionis indigitanda. Scio dari medicos audentiores, qui, hoc non obstante, in adhibenda hac tinctura pergunt, quin immo ter & quater in die sumere illam jubent, & si tres vel quatuor hae doses alvum non trahunt laxans aut purgans interponunt; verum hos imitari nemini auctor ero,

vo salivationem ciet, qua sanguis & secreti ex eo tenuiores humores, ab inhaerente his tenaci pituitosa & acri putrida materia arthritica, egregie atque omnium certissime depurantur (o). — Quibus non contingit benefica haec excretio, his opus est, omnem navare operam, ut per urinae vias, quantum fieri potest, exeat humoribus immixtum virus podagricum, quod multa, in aëre libero & subfrigidulo, ambulatione, vel equitatione, aut unctione, obtineri commode posse, notum est omnibus, qui vel a limine tantum salutarunt atria medica. — Sudorem sub hujus tincturae usu, tempore a paroxysmo vacuo (p), per regimen sudoriferum exprimere, ea intentione, ut eo promptius vasis, sanguinem & secretos ex eo humores vehentibus, expellatur arthritidis fomes, dementis foret. Etenim sudores proliferare, non tam medici, quam naturae, provincia est; nec pori cutanei, etsi per eos, inelinate paroxysmo, sponte exeat coctum jam & mobile satis virus arthriticum, apti meatus sunt, per quos elici possit nondum ita tenuatum ut rite separari queat, sed crudum adhuc quodammodo; & metuendum insuper est, ne per coactum ejusmodi sudorem ex sanguine exprimatur tenuior hujus lympa, qua expressa magis condensatum, atque in interioribus & nobilioribus visceribus aggestum, ejus crassamentum,

C 3

tum,

(o) Simili fere modo, quo, diversum quidem, non minus acre tamen putridumque virus venereum, viscidæ pariter lymphæ inhaerens, salivatione optime ac certissime foris e corpore proscinditur: unde nec omnino displicet consilium eorum, qui etiam ad podagram, omnemque arthritidem aliam, non modo parcam unguenti mercurialis inunctionem, sed internum quoque hydrargyri

usum, proposuerunt, ut refert VAN SWIETEN *l. c. T. IV. p. 378.*

(p) Non sine causa dico tempore a paroxysmo vacuo. Nam si in paroxysmo bibitur, quod absente febre fieri posse ostendi, sudorem, quem & ipsa natura declinante paroxysmo emittit, vel ex toto corpore, vel ex affecta saltem parte, tepore lecti, aut impositis pulvinaribus, vel tegumentis laneis, & potu diluente calido, elicere omnino licebit.

tum, in his creet mox enarranda mala, ipsa podagra pejora (q). Satis erit, liberam conservare perspirationem, quam, nisi enormes in vitae ratione committantur errores, satis servaturam esse stimulantem hanc & calefacientem tincturam, facile est intellectu. — Sub hujus tincturae usu nullum aliud adhibendum est medicamentum, neque internum neque externum. Singulis quippe indicationibus, quas proxima podagrae omnisque arthritidis causa exigit, plene satisfacere illam, jam alibi §. V. ostendi. Alia ergo haud opus est, & officeret forsitan hujus actioni. — Diaeta, quam sub ejus usu servare debent arthritici, eadem est ac ea quam generatim omnibus podagricis suadent quotquot de podagra copiosius & diligentius scripserunt medici (r). Huic proinde non immorabor, quum de illa nil dicere queam, quod non dictum sit ab aliis me longe doctoribus & exercitioribus, & hos exscribere nolim. — Et si in humidis, pituitosis, & obesis, adeo securus est antarthriticae hujus tincturae usus, ut vix unquam accidere his possint ea mala, quae quibusdam plethoricis & biliosis, vel gracilentis, vel mediocris temperici hominibus, accidisse (s) audio, ipsa podagra pejora, apoplexia, paralyse, pectoris oppletiones, harumque consuetudines, anhelatio, tussis sicca, peripneumonia, pleuritis, & hujus generis alia, si tamen quid horum & phlegmaticis atque obesis eveniat, quod fortassis, ex supra notato intempestivo ejus usu, aut commissis in haecenus praescripta adhibendi eam norma, & vitae regimine, inexcusabilibus erroribus, evenire

(q) SYDENHAM *l. c.* p. 564 sq.

(r) Quorum principes sunt SYDENHAM *l. c.* p. 578 sqq. *it.* p. 574. VAN SWIETEN *l. c.* T. IV. p. 358. 366. 369. 371 sqq. *it.* p. 293. 297. 304. 306. 308 & 322.

(s) Propria sua culpa. Ruerant enim, ut his, a VAN SWIETEN *l. c.* T.

IV. p. 365. allegatis, GALENI verbis utar, ad hujus medicinae usum, propterea, quod liberatos aliquos articulis affectibus viderant, minime aestimantes, quod temperies eorum, qui sanati fuerant, humidior pituifiorque erat, qualis obesorum est.

nire aliquando posse non negavero, statim atque prima istiusmodi congestionum ad nobiliora viscera contingentium signa observantur, ejus intercipiendus est usus, & adhibenda sunt convenientia his malis auxilia, quae vero ex aliis auctoribus compilare iisque hunc libellum onerare non fuit pudor.

§. VIII.

Priusquam coronidem libello impono, paucis adhuc ad aliquas respondebo quaestiones, quas identidem moveri scio. — Quaeritur nempe primo, utrum soli Guajaci lacrimae, vel potius per taffiam ex hac educto extracto mixto, tribuenda sit antarthritica nostrae tincturae Guajacinae virtus; an vero, & quid, ad ejus operationem etiam juvet ad extrahendam eam adhibitus sacchari spiritus? Posteriori sententiae assentire me cogunt notae Guajaci & spirituum ardentium vires. Guajaci enim lignum, hujusque corticem, & utroque efficaciorum ex arbore viridi stillantem lacrimam, humores, crassos lentosque incidere, attenuare, atque resolvere, frigidos largius affluentes dissipare atque absumere, hisque obstructa vasa aperire, sudores elicere, urinam ciere, sputa nonnunquam trahere, & in largiori dosi alvum sollicitare, stomachum resolutum omniaque alia viscera corroborare, nervorum affectionibus omnibus subvenire, & praeter complures alios morbos, quos reticere hic licebit, dolores rheumaticos tollere, atque ad podagram, chiram, ischiadem, omnemque arthritidem, mire valere, omnes fatentur, qui eorum vires exposuerunt, medici (a). Spiritus vero ardentes qualescunque ventriculum & intestina calefacere & roborare, hinc ciborum digestionem promoveri, pingua comesta subigere, flatu expellere, vasa omnia stimulare &

(a) Ex pluribus allegasse sufficiat GEOFFROY *Tract. de Mat. med. T. II.*
p. 231/9.

& leniter constringere, eoque humorum circuitum incitare, sanguinis calorem augere, atque putredinem arcere, aequè certum est ^(b). Rectè itaque, ut opinor, ex his conficitur, non solis ex Guajaci lacrima extractis particulis resinoso-gummeis deberi beneficas hujus tincturae ad podagram omnemque aliam arthritidem dotes, sed has ex parte quoque assignandas esse stimulantì, calefacienti, roboranti, & inprimis antiputredinosae, spiritus, ad evocandas illas adhibiti, virtuti; licet excitatissimo huic liquori secundarias tantum tribuendas esse tincturae vires non negem. — Sed sciscitare secundo pergunt percontatores, cum, ut egomet dixi, omni spiritui ardenti, ex quacunque re prolecto, sint modo enarratae vires, nonne ad conficiendam hanc tincturam aequè idoneus sit, rectificatus inprimis, vini aut frumenti spiritus, atque ab EMERIGONO ad eam praescripta & pro absolute necessaria habitataffia ^(c). Speciosum, fateor, argumentum est, cui haec innititur dubitatio; nec unquam vituperabo eos, qui ubi bonam & meracam tassiam habere nequeunt, aut caro nimis pretio redimere deberent, in hujus locum surrogabunt alium, rectificatum inprimis, spiritum; sed ubi praesto illa est, & non multo majoris venit, atque rectificatus frumenti aut vini spiritus, semper tamen illam praefarendam esse puto huic: ideo quod, si sincera est & vetusta, ob largius, quam in aliis, contentum in ea intimiusque unitum sacchari acidum & oleum essentiale, utrumque fortissimum ^(d), non

^(b) Vid. CARTHEUSER *Pharmacol. theor. pract.* S. II. c. 3. §. 8. & 10. p. 92. *sqq.* ZÜCKERT. *Mat. aliment.* p. 354.

^(c) *Epist.* 1. p. m. 6. it. *Epist.* 2. p. 13.

^(d) Omnem nempe spiritum ardentem ex aqua & huic intime mixto sale acido atque oleo essentiali constare, firmis argumentis probavit VOGEL *Inst. Chem.* §. 384. 385 & 386.

ab oleo vere pendere saporis diversitatem, SPIELMANN *Inst. Chem.* §. 95. *Exp.* CXXVI. p. 332. docet; & saccharo magna copia inesse acidum & oleum essentiale, demonstrat fortissimum, quod ex eo, in aqua soluto, fermentatione obtinetur acetum & vinum. Vid. GEOFFROY. *l. c.* T. II. p. 745.

non tantum quovis alio spiritu simplici, & ipso quoque aliquando negligentius rectificato, fortior est & acrior ^(e), sed etiam majores habet, non falso ab EMERIGONO ^(f) ei assertas, balsamicas seu antiputredinosas vires, quas eminentiori gradu esse illi certo deprehendent omnes, quibus ad condiendos fructus, & a putredine defendendas animalium partes, aut ad chirurgicas applicationes, uti quandoque Tassia placebit. — Rogitant tertio permulti, possitne mitigari peracris & vere ingratus hujus tincturae sapor? Potest aliquantum addito saccharo conico, de quo percolatae tincturae unciae triginta duae, adjuvante leni, aut solis aut furni calore, solvunt uncias octo. — Sunt quarto, qui edoceri optant, anae simplici nostrae tincturae praefenda sit passim in tabernis medicamentariis jam officinalis magis composita, quae, una cum binis lacrimae Guajaci unciis, baccarum & frondium viridium juniperi singularum unciam unam, stipitum & gemmarum Ribis nigrae unciam dimidiam, & foliorum Trifolii fibrini drachmas duas, in Tassiae unciis triginta duabus mergit? Non videtur. Praeterquam enim, quod, quoties specifica medicamento cujuslibet virtute opus est, regula tenet, quo simplicius eo melius ^(g); & simplex nostra, ut supra §. V. ostendi, omnibus indicationibus, quas proxima podagrae omnisque arthritidis causa exigit, plene satisfacit, nullisque ideo additamentis indiget: compositam illam simplici nostra, multo non tantum ingratiorem & nauseosiorum sed etiam calidiorum reddunt indicata additamenta, quibus paene omnis tribuenda est culpa, cur a multis minus bene fertur atque simplicior nostra, quod, praeter alios, quos de impensius calefaciente & exsiccante ejus indole, conquestos esse audio, inter

D

nostrates

^(e) ZÜCKERT *l. c.* p. 356. GEOFFROY *l. c.* T. II. p. 745.

^(f) *Epist.* 3. p. 13.

^(g) Sunt verba SYDENHAMI *l. c.* p. 568.

nostrates expertus quoque est perillustis GOLLOWINIUS, qui, cum primum composita illa, Hamburgo accepta, uteretur, multum ab ea emaciari se sensit, cum e contrario, a se ipso, secundum EMERIGONI formulam praeparata, simplicior nostra, quam seposita illa, ultra tres menses bibit, & torosiores eum reddiderit & vegetiores. Quod si tamen una cum podagra & calculo laborant arthritici, quod sane frequentissimum est, simplici nostrae utique praeferendam esse reor compositam illam, ob majores diureticas & lithontripticas vires, quas ab additamentis ei esse nemo inficiabitur. — Quinta & ultima, quam hic excutere mihi proposui, quaestio ab iis movetur, qui, ardentes quoscunque spiritus reformidantes, scire avent, an non & alio quocunque liquore non spirituofo ex Guajaci lacrima haberi possit aequae utilis ad podagram omnemque aliam arthritidem medicina? Poterit, credo, methodo a perillustri DE BERGER, Augustissimi Danorum Regis Confiliariorum principalium a Conferentiis dictorum dignitate Archiatro, proposita ^(b), qua scilicet lacrima Guajaci, & sacchari conici purissimi utriusque uncia dimidia, atque Gummi arabici drachmae duae, aliquam longa tritura exacte miscentur, atque cum aquae cujusdam distillatae & convenientis unciis novem diluuntur, aut, quod praestare videtur, emulgentur. Nondum quidem mihi se obtulit occasio experiundi, quid & quantum haec, ad alium morbum, asthma puta spasticum & convulsivum, atque gravissimam inprimis hujus speciem, nostris temporibus sic dictam anginam pectoralem, commendata potio vel emulsio, ad vincendam podagram, aliamve quamcunque arthritidem valeat; nullus tamen dubito, aequae fere, si non omnino, efficacem futuram esse, atque est cum spiritu ardente sacchari facta Guajaci tinctu-

(b) In novis Actis Academiae Scientiarum Sueciae a. 1780. n. 7.

tingtura. Nam & de illa praedicat perillustis inventor, quod, ad cochlearis cibarii mensuram sumpta, perinde ac haec, bis vel ter quotidie alvum ducat, interdum salivationem cieat & perspirationem adaugeat.

§. IX.

Multa superesse scio, quae de hoc argumento dici possent & fortassis deberent, nec erit ullus qui melius quam ego ipse sentiat hujus libelli defectus. Sed plura hic addere vetant explotae, quas huic tentamini academico destinaveram, paginae, & proxime instans publicae ejus disquisitioni praestitutus dies. Esto ergo hic ejus.

F I N I S.



DOCTISSIMO
HONORVM MEDICORVM CANDIDATO
ERNESTO FRID. ECKHOFF

PRAESES

I O. FRIDERICVS ACKERMANN D.

Immutatam, totamque Tuam Doct. Candidate habes Dissertationem, quam Speciminis aditialis academici loco, lege ordinis mihi exhibuisti. Sed vide ut probes, quae ad commendandum inter specifica antarthritica, paucioribus profecto exemplis & observationibus, nec idonea medicorum expertiorum auctoritate assertum remedium scripsisti. Satis & ipse cognoui usum Gummi Guayaci ad corrigendas, & varia via euehendas sanguinis, inprimis in serosa parte glandularumque latibulis haerentes corruptelas. Sed nondum mihi usus in vehiculo spiritus sacchari ita placuit, ita probatus est, ut imitandum & commendandum putem. Persuasum potius adhuc habeo, vanas & fallaces laudes, quibus tabernae per publicas literas imponunt, emtoresque & imitatores, ut sit, facile adliciunt, diligentiores & accuratorem artem breui esse demonstraturam. Emerigono certe Tuo in re tali tanta auctoritas non est. Et nosti, quam curiose frustratam spem, credulitatis qui poenas luant, vel tacere, vel laudibus male dissimulare, vel adeo felicitis effectus opinionem inducere solcant. Denique, quod & ipse agnouisti, res ipsa loquitur, certe longiora artis studia & observationum tutiorem fidem poscit.

Quae igitur etsi mihi non probasti, Doctissime Candidate, doctrinam tamen Tuam, quae digna sit honoribus medicis, satis probauisti, ut de omni Tuo Tibi merito & laude gratuler. DEVS OPTIMVS MAXIMVS omni debinc Tuo instituto & faciundae arti benedicat, omnibus consiliis & rebus gerendis fauceat, ut perennem hunc & uberem felicitatis & honoris fontem habeas! Vale.

